



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De vidua quæ sub obtentu religionis velum ad tempus sibi imposuerit.
xlvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Vt viduae velatae ad nuptias ire non debeant.

Caput XLVI.

*Ex decre.
Gelasio
pape ad
Sicilienses
episcopos
missis,
cap. 9.*

*Ex epist.
Nicolai
pape, ca.
5.*

NEque viduas ad nuptias transire patimur, quae religiose proposito diuturna obseruatione permanserunt. Similiter virgines nubere prohibemus, quas plurimis in monasteriis aetatem peregisse contigerit.

De vidua quae sub obtentu religionis velum ad tempus sibi imposuerit. Cap. XLVII.

Nicolaus episcopus seruus seruorum Dei, Reuerendissimo & sanctissimo confratri nostro Adaluuino sanctae Viuenensis Ecclesiae archiepiscopo. Quod autem te interrogasti de foemina quae post obitum mariti sui velamen sacrum super caput suum imposuit, & finxit se sub eodem velamine sanctimoniale esse, postea vero ad nuptias abiit, bonum mihi videtur, quia per hypocrisim ecclesiasticam regulam conturbare voluit, & non legitime in velamine suo permansit, ut poenitentiam agat de illusione nefaria, & reuertatur ad id quod spondit, & in sacro ministerio inchoauit. Nam si consenserimus quod omnia sacramenta ecclesiastica quisque prout vult fingat & non vere facta, omnis ordo Ecclesiasticus conturbatur, nec catholicae fidei iura consistunt, nec canones sacri rite obseruantur. Quod enim profuit Simoni Mago baptismum sacrum fuisse accepisse, & in Christianitate per mansurum se finxisse, cuius per apostolum fraude eius detecta, quod sibi futurum esse praenunciatum est: Ait enim? Pecunia tua tecum sit in perditione: cor enim tuum non est rectum coram Deo: Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ut forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. Multi tales nisi resipiscant, spirituali gladio pertuere censentur. Non enim fas est spiritui sancto mentiri, sicuti Ananias & Sapphira mentiti sunt, & statim perierunt.

De viduis & puellis quae in domibus propriis habitum religionis susceperunt. Cap. XLVIII.

*Ex cõcil.
Toletan.
4. ca. 57.*

DE viduis & puellis quae habitum religionis in domibus propriis tam à parentibus quam per se mutauerunt, si postea contra instituta patrum, vel pracepta cano-